DE CONSUETUDINIS POTESTATE IN ANIMALEM ŒCONOMIAM...

Vincenzo Tomada

DE

CONSUETUDINIS POTESTATE

IN ANIMALEM ŒCONOMIAM

ACCADEMICA DISCEPTATIO

HABITA

A VINCENTIO TOMADA

MEDICINÆ LAUREA HONESTANDO

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

M. DCCC. XXIV.

VIRO PRÆSTANTISSIMO

COM. ANGELO DALLA-DECIMA

IN C. R. UNIVERSITATE PATAVINA
MATERIÆ MEDICÆ ET PATHOLOGIÆ GENERALIS
PROFESSORI PERILLUSTRI
PLURIMARUM ACCADEMIARUM SOCIO

VICENTIUS TOMADA

Hanc meam lucubrationem, quam sapientissimo studiorum nostrorum instituto ad Doctoris insignia capessenda obsequens in medium profero, Tibi, Vir Clarissime, do, dono, dedico. Qua benignitate omni tempore in me fuisti, eadem hoc meae summae in Te observantiae specimen accipere non aegre laturum confido. Interea loci Deum Optimum Maximum etiam atque etiam rogo, ut Te diu litteris atque studiosae juventuti incolumen sospitemque servet. Vale.

Patavii XVIII. kal. septembris A. S. MDCCCXXIV.

Cum muneri, quod mihi a sapientissimis accademicis institutis impositum est, satisfacere pro viribus aggredior, quamobrem publica disceptatione aliquod quasi specimen studiorum meorum proferam, et quid spei sit reliquum portendam; multa meae obversantur menti, quae me a principio non mediocriter commovent, atque perturbant. Me sane terret splendidissimi loci dignitas, terret curiosa illustrium ac lectissimorum auditorum frequentia, terret ipsa jam mihi perspecta ingenii mei tenuitas. Veruntamen magnus iste trepidationis sensus valde admodum minui sentio, cum ipse mecum reputo summam virorum doctrina praestantium benignitatem, qui suae dignitatis esse censent juvenum in litterarum scientiarumque studia incumbentium prima conamina sustinere, omnique ope operaque fovere; cui accedit aspectus vester, humanissimi atque sapientissimi Professores, praeceptores mei amantissimi, qui cum mihi omni tempore fuit iucundissimus, tum potissimum hac ipsa die me recreat, atque sustentat.

Maximam esse in communi qua hominum, qua caeterorum animantium vita consuetudinis potestatem nemo unus ignorat, quare admodum concinne Herodotus cum Pindaro consuetudinem populorum Regem, alii autem alteram naturam appellarunt. Inde factum est, ut plurima de consuetudine in multis suo-

rum operum locis egregia praecepta disperse cujusque aetatis medici tradiderint, integrosque hac de re libros dedita opera ad hanc diem composuerint atque evulgarint. Jam vero quo pluries gravis aliqua, atque adeo utilis quaestio agitatur, eo magis illius penitissimae latebrae introspiciuntur, difficultates, si quae sunt, enodantur, asperitates tolluntur, tenebrae exscinduntur, et splendidiore ex omni parte luce illius doctrina suffunditur. Quibus animadversis haud abs re fore arbitratus sum, si ipsam eamdem disquisitionem brevi hac oratione perstringere sumerem. Atque ut via et ratione procedam principio rem omne divido in partes duas, in quarum prima quae de effectibus consuetudinis animadversione digniora sunt, summatim exponam; in altera quaenam ex illius recto usu in medicina facienda utilitates manare possint, breviter indicabo.

Quoad primam disquisitionis pertinet partem, si consuetudinis effectus attento animo contemplemur, duplicis illos esse generis facile intelligemus. Nempe primum ex eadem diu saepiusque repetita corporis functione ad illam functionem major proclivitas sequitur, quamobrem facilius promptiusque excitatur, immo vero aliquando eodem ipso ordine quo repeti consuevit sua sponte recurrit. Haec corporis a longa consuetudine indita dispositio habitum constituit, qui a consuetudine differt perinde ac effectus a caussa, unde ortum duxit. Alterum genus in eo situm est, quod quaecumque pars ex longa ac saepius repetita alicujus stimuli actione aptior evadit illi actioni in posterum sustinendae. Quoad primam praedictarum le-

gum apectat ejusmodi consuetudinis effectus plurima in communi hominum vita observantur exempla, quae ex eo quod continenter ob oculos, immo quasi ante pedes posita sunt, nullam admirationem efficiunt, at nonnulla magis singularia quandam portenti speciem praeferunt. Quae cum ita sint, operae praetium esse puto effectus istos quasi praeteriens per diversa functionum genera persequi: scilicet in sensibus tum internis, cum externis; in corporis motibus; atque in illius secretionibus et excretionibus.

Sensus internos ex consuetudine majorem et alacritatem et firmitatem acquirere multa aperte demonstrant. Ita memoriae facultas in pueris ut cum maxime explicatur atque augetur frequentiore addiscendarum plurium rerum memoriter exercitio, et contra qui hanc exercitationem neglexerint, ita ignavi evadunt, ut suas ipsas lucubrationes aegerrime addiscere et memoriter dicere possint, sed ex charta recitare necesse habeant. Ita praeteritas res memoria identidem repetendo non solum rerum repetitarum reminiscentia altius animis infigitur, verum etiam occulta quadam mentis lege omnis reminiscentiae praestantia extollitur.

Qui in severa mathematicarum disciplinarum studia incumbunt, profundae acutis inquisitionibus meditationi assueti ad longam conclusionum ac mutuo sequentium seriem sola mentis contentione persequendam aptiores evadunt.

Qui definita quadam hora somnum capere jamdiu consueverunt, eadem postea semper hora somni desiderium sponte obrepit, cui tamen si obsistant ita ut horam illam vigiles transiliant, immane illud desi-

derium minuitur, immo cessat, et aliquando per reliquam noctem inducias facit. Idem dicere possumus de vigilia. Non raro enim observamus, qui mane definita quadam hora e somno jamdiu excitari consueverunt, eadem posthaec hora sponte expergisci etiamsi serius solito somnum ceperint. Veruntamen omnium maxime admiratione dignum certe est quod de quodam fatuo in Anglia referunt Willisius, Boyleus, aliique gravissimi scriptores. Is enim cum a longo tempore cujusdam proximi publici horologii horarum pulsus numerare, voceque exprimere solitus esset, easdem admodum accurate numerare pressequutus est etiam quando horologium illud casu quodam labefactatum pulsare desiverat, ita ut ex longa consuetudine illius fatui cerebrum exquisitam horologii conditionem adeptum esse videretur.

Neque minor externorum sensuum ex longa consuetudine affectio. Quamobrem qui picturae operam navant longo usu minimas in tabulis varietates extemplo discernere discunt, et pastor oves suas conspiciens singulas cognoscit, et proprio identidem nomine discriminat. Inde pariter fieri proclive est dictu, medicos ex diuturna atque attenta visendorum aegrotantium exercitatione eam tandem illorum externas a naturali conditione aberrationes discriminandi facultatem ac praestantiam acquirere, ut solo aegrotantium aspectu morbi gravitatem, longitudinem, exitumque aliquatenus intelligant; unde illa de medico conspectu alias plus aequo existimata, alias immerito penitus contempta opinio. Eodem pacto musicae studiosi, modorumque magistri, in misto ex plurimis diversis

sonis concentu facile alium ab alio sonum distinguunt, et vel minima uniuscujusque, si quae fuerint, peccata accurate definiant. Ita multi delicatuli homines minimas saporum, atque odorum varietates discernunt, et multos eorum, qui errabundi sylvestrem vitam ducunt, solo olfactu absentium vestigia sequi plures viatorum historiae referunt: et adeo frequentia apud nos extant exempla mulierum praesertim histericarum, quae odore futuras procellas praesentiunt. De tactu autem quid dicam, cum a multis omni fide dignis historiis accipimus caecos nonnullos longo usu sola pannorum attenta contrectatione illorum colores discriminare potuisse; et eodem modo plures homines vafri figurarum in lusoriis chartis descriptarum varietatem digitis apprime persentiunt, atque cognoscunt?

Similibus consuetudinis legibus ipsi motus corporis, ac singularum illius partium subjiciuntur. Frequens enim motus praeterquamquod partibus majorem firmitatem conciliat, eas ad motum magis pronas facilesque reddit. Exercitati caeteris melius labores tollerant. Longioribus sensim itineribus conficiendis frequenti exercitatione assuescimus. Inde etiam in dextera manu major quam in sinistra firmitas atque pernicitas. Quibus lente loqui mos est eorum ex concitatiori sermone loquela perturbatur, praerumpitur, et in balbutiem vertitur. Quantum autem consuetudo ad vocis claritatem et magnitudinem valeat, celebre Demostenis exemplum aperte demonstrat. Adhaec cum animi perturbationes aliquam sibi propriam in facie mutationem pedissequam habeant, quamobrem musculi alii contrahantur, alii remittantur, saepe repetita ejus-

modi actione vestigia illarum mutationum manent, quare haud immerito ex facie ipsa Lavater secundum Hallerum animi proclivitates cognosci aliquatenus posse existimavit.

Quod si ad caeteras humani corporis functiones animum advertamus, eandem consuetudinis praestantiam intelligemus. Ita jamdiu definita aliqua hora alvum dejectione exonerare, in certis quibusdam circumstantiis urinam emittere soliti, eadem hora, in similibus circumstantiis, et dejectionum et urinarum incitamentum sponte recurrit. Eodem modo ex veteri consuetudine plethorae vel generales vel partiales statis intervallis existunt, quae vel naturae officio per quandam aliquam sponte natam sanguinis profusionem solvuntur, vel opus est, ut ejusmodi profusio arte provocetur. Ita usu alii diuturnum jejunium absque magno incommodo tolerare queunt, alii secus. Quin etiam eadem jampridem capiendi cibi solita hora vel semel, vel bis, vel pluries in die ciborum desiderium, famisque subeunt.

Alterum autem effectuum consuetudinis genus illud est, quo ex saepe alicujus stimuli repetita actione ita illi potestates insitae vitales assuescunt, ut illam longe facilius sustinere queant, longeque minus quam assueti ab illa turbentur, quam alteram esse consuetudinis legem jam ab initio monuimus. Itaque si nervus aliquis continenter quodam stimulo percellatur, illius sensifera potestas sensim minuitur, atque obtunditur. Qui pulvere tabaci uti occipiunt, principio nonnunquam ex minima ejus copia vertigine, animique defectu corripiuntur, at deinceps magnam illius copiam

naribus absque incommodo immo vero cum aliquo oblectamento usurpant. Turcae sensim in usu opii eo perveniunt, ut interdin ingentem illius vim sumant, cujus vel vigesima pars quemlibet illius succi insuetum hominem e medio tollere valet. Quandam mulierem pedetentim ita cicutae assuevisse, ut pro alimento uteretur, Galenus prodidit. Pueri tenebras horrent, quibus postea paullatim suescunt, indeque minime amplius turbantur. Ita pariter qui primum marittima itinera suscipiunt, principio saevis vomitionibus, augore, vertigine ex inaequali navigii agitatione afficiuntur, at deinceps easdem agitationes absque molestia, ullaque perturbatione sustinere valent.

Neque tamen me latet praedictas duas consuetudinis leges mutuam sibi mutuo vim inferre videri. Qui enim fit, ut diuturno usu ita oculi acies intendatur, ut minimas inter diversas res differentias discernere valeant, quae vulgi sensum praetervolant, cum jam ex secunda praedictarum lege diximus longa stimuli repetitione nervorum sensiferam potestatem obtundi? Et re quidem ipsa ex lucis actione retinae sensifera potestas, ac proinde visus ipse sensim minuitur, et nisi cautio adhibeatur, tandem omnino deletur. Ad istius rei explicationem duo animadvertenda esse censeo, scilicet sensiferae potestatis vis, et attentio, qua res ipsa conspicitur, atque scrutatur. Vis ex frequentiore stimuli actione remittitur, quae secundae consuetudinis legis causa est: attentio contra usu magis explicatur, atque perficitur, quare illius effectus prima reguntur lege. Quapropter potest usu frequentiore perspicuitas, quae a rerum distantia, atque a majori ex illis ad ocu-

los luce appellente pendet, minor fieri, et eodem tempore augeri illa discernendarum diversarum partium facilitas, atque praestantia, quae a majore adhibita attentione manant. Eadem ad caeteros externos sensus referri debent. Ex ejusmodi autem effectuum ex duabus praedictis consuetudinis legibus proficiscentium societate, obscuritas aliqua in eorum explicatione existit, quae tamen facile diluitur, adhibita diligentia.

Quibus animadversis, ad alteram meae disquisitionis partem animum convertam, nempe quid opis consuetudo in medicina facienda afferre queat, et quacnam ex attenta illius, ac habitus inde orti consideratione utilitas manare.

Primum autem inter omnes auctores haud convenit, utrum satius sit hominem sanum optimis atque saluberrimis consuetudinibus illigari, an secus. Jam vero quae in usu rerum salubrium versantur, hae quidem et sanitati et longaevitati conferunt: et qui ejusmodi consuetudinibus se addixerint, donec istis examussim obsequuntur, incolumi, integraque sanitate fruuntur; veruntamen si casu aliquo ab illis aliquantulum deficiant, aut declinent, errorem illum pejus quam caeteri ferunt. Habemus nimirum illustre exemplum in vita sobria Ludovici Cornelii veneti, qui usque ad annum quadragesimum gulae praesertim debeiis indulgens, neque sibi a noxio ciborum potuumque usu cavens, plurimis incommodis conflictatus fuit, quae adeo increverunt, ut omnia remedia ad irritum caderent, et prope nulla sanitatis recuperandae spes affulgeret, quamobrem optimo sane consilio sobriae vitae paullatim se obstringere statuit, qua non solum cito

convaluit, verum etiam vitam incolumen, alacrem, jueundam usque ad extremum senium produxit: at si quando a salubri illa consuetudine discessit, statim erroris poenas luit. Itaque in tractatu, quem de hoc vitae genere composuit, ait: *sed et hoc quoque per experientiam cognovi ordinatae vitae regulam diu observatam non sine gravissimo incommodo violari.*

Ex mala autem consuetudine oeconomia animalis turbatur, unde ocius serius variae plus minus graves morbosae affectiones consequuntur.

Quapropter multo maxima medicorum pars censet hominem sanum nulli consuetudini vel etiam optimae se addicere debere; qua de re celebre est illud Celsi praeceptum: *sanus homo, qui et bene valet, et suae spontis est, nullis se obligare legibus debet, ac neque medico, neque jatrolipta egere.* Ita pariter Hippocrates dixit: *oportet igitur ad insueta permutari.*

Medici autem magnopere interest suorum aegrotantium consuetudines probe cognoscere, inde enim saepenumero et quid faciendum, et quibus abstinendum sit saepenumero intelligit. Jam vero non raro usuvenit, ut consuetudo ita mutet partis alicujus vel alicujus systematis conditionem, ut speciem et similitudinem aut morbi, aut peculiaris idiosyncrasiae referat. Quare observantur saepe edones definita quadam hora prandere assuetos, ex longiori cibi abstinentia cardialgia corripi, animi defectu, tremore, pulsu inordinato, parvo, deficiente, aliisque perturbationibus, quae omnia cito omnino cessant a cibo assumpto. Ita pariter si quis veterum Aegyptiorum more singulis mensibus emeticum sumere consueverit, solito temporis curri-

culo recurrit ad vomitum dispositio, immo vero nonnunquam vomitio sponte, vel data quavis minima occasione contingit. Ignorata illa consuetudine, effectum illum a peculiari idiosyncrasia pendere existimari potest; quo in casu diversa habebitur indicatio. Etenim effectus idiosyncrasiae longe pertinaciores sunt: et si quando aliqua ratione obtineri possit eorum cessatio, alia illorum loco mala identidem existent; et praeterea opus erit sedulo quaerere et peculiarem proximam caussam vitii, et illius veram sedem. Contra si cognoscatur consuetudini affectionem illam ortum suum acceptum referre, possumus illam paullatim tollere praevertendo illius recursum alia affini evacuatione, et eo magis si istius directio illi e regione opposita sit, scilicet alvi dejectione: quae praeterea vicaria excretio semper longioribus intervallis est provocanda. Haec eadem ad alias referenda sunt profusiones, quae diuturnitate in habitum versae sunt; nam si aut sponte, aut vi extemplo sistantur, longe graviora mala existere solent. Quare praestat saepenumero leves aliquas diuturnas affectiones patienti animo tolerare, suoque sibi ingenio relinquere, quam illarum inconsulta curatione longe graviora mala accire. Hinc fit, ut leve aliquod diuturnum externi corporis ulcus sponte absque evidenti aliqua haud noxia caussa siccetur, atque deficiat, id vel effectus, vel caussae perturbatae animalis oeconomiae inditium faciet, quamobrem arte cito ad illam, quam prius occupabat partem avocari oportet, aut ad aliquam aliam, quae cum prima sit quadam consensionis affinitate conjuncta. Huc referri potest illa Hippocratis sententia: *haemorrhoidas curanti diuturnas, nisi una*

servata fuerit, periculum est, ne hydrops superveniat, aut tabes.

Itaque in illis humorum profusionibus, aut in aliis affectionibus, quae definitis temporis curriculis per circuitum aggrediuntur, si quando affectio illa praeter rationem defiat, et interea loci aliae perturbationes exoriantur, illas medicus, attentione adhibita, ad prioris tam pertinacis affectionis defectionem, istius larvam esse non raro cognoscet. Idem dicendum est de iis profusionibus, quae ordine ex naturae instituto recurrunt, exempli gratia, menstruum in foeminis. Etenim si ex aliquo errore profusio illa desit, vario modo turbatur animalis oeconomia, ita tamen ut quibus temporibus profusio illa contingere solebat, iis peculiares perturbationes existant, quae indicant naturae nixum, ut priorem illam profusionem excitet; quamobrem auxilia ad revocandam profusionem illam comparata illis temporibus medicus praecipue adhibere debet, ut naturae ipsius salutaribus conatibus opituletur.

In iis autem pravis corporis conditionibus, quae ex noxia consuetudine nascuntur, atque foventur, nullo pacto damna, quae ex illis manant, declinari poterunt, nisi sublata illa consuetudine; quod quidem gradatim fieri debet, secus graviora mala cito hominem illum aggredientur. Itaque quibus sanguinem frequenter mittere solitum est, in iis frequentar illius detractionis necessitas recurrit; qua neglecta, maximae perturbationes in animali oeconomia exsuscitantur. Contra si in eodem more perseveretur, firmae partes remittuntur, vires labefactantur, et vel hydrops, vel aliquis alius gravis morbus ex illa debilitate paullatim exsur-

git. Quamobrem ut saluti prospiciatur necesse erit paullatim consuetudinem sanguinis mittendi tollere, quare si antea decimoquinto quoque die sanguis ex caesa vena detrahebatur, deinceps danda est opera, ut die vigesimo, trigesimo, sexagesimo, et semper longioribus intervallis detrahatur.

Neque dissimili ratione nosmet gerere debemus erga helluones, atque vinolentos. Vino nimium abuti soliti tandem vel in apoplexiam, vel in hydropem delabuntur, quae mala, nonnisi relicta paullatim prava illa consuetudine, praeverti possunt.

Caeterum pravarum istarum consuetudinum sedulo ratio est habenda in morbis ipsis. Quapropter minime eadem diaeta apta erit pluribus in eodem loco degentibus in eodem ejusdem speciei morbi stadio. Nam (praeter aetatem, sexum, temperiem, peculiarem idyosincrasiam) praegressae consuetudines quandam per se, et saepenumero satis notabilem varietatem postulant. Itaque qui duriori cibo, sut copiosiori, dum valent, uti solent, ii pleniori et duriori indigent alimento etiam quando aegrotant; immo vero, saltem primis morbi diebus, eodem ordine, iisdemque horis, quibus illud definite sumere consueverant, ipsum exhibendum, nisi nova febris accessio impedimento sit. Inde Hippocrates in suo tractatu de internis affectionibus: *quibus cibis, aut potibus homines in victu per sanitatem utuntur, ex his praesentibus ad aegrotos uti oportet.* Atque in suo tractatu de victus ratione in morbis acutis: *ex hominum adhuc sanorum victus ratione discendum quaenam in eorum morbis conveniant: adhaec bis de die cibum sume-*

re consuetis bis ptisana danda est. Quin etiam vinolentis aegrotantibus pauxillum vini concedendum est. Hac de re illustre habemus exemplum Boerrhavii a Swietenio lepide relatum. *Decumbebat* (inquit) *acuto morbo in pago vicino vir primarium ibidem munus gerens et strenuus potator. Vocati medici sanguinem miserunt, victum tenuissimum praescripserunt, et dilutissimos potus; unde adeo debilitabatur miser, ut animom fere ageret; neque interim remittebat febris impetus. Alter medicus, qui solebat aegri hujus curam gerere, et saepius cum illo Baccho litare, dum sanus erat, abfuerat per aliquos dies casu: deinde redux invisit amicum; atque cum aliis medicis in consilium veniens dixit ridens, se solum probe novisse, qua muria hoc corpus condiri deberet, ne putresceret: illicoque jussit dari vini Rhenoni generosi poculum, et jura carnium. Obedivit facile amici consilio aeger, et sic refocillatis viribus, brevi a periculoso morbo evasit.*

Sed praeterquamquod ad sanitatem eorum, qui sibi curae sunt, servandam, et amissam restituendam maximi medicorum interest consuetudinum, quibus illi illigati erant, notitia; non mediocriter consuetudinum doctrina ipsa generalis usui esse identidem potest in remediorum aliorumque auxiliorum ad rem accommodata administratione. Hoc pacto enim noxii pravi habitus effectus pedetentim corrigi queunt: aliquando ipsa sanitati plus minus officiens idyosincrasia aliquatenus temperatur; demum in usu alicujus adeo validi, et eodem tempore vel periculo pleni vel aegre tolerati auxilii eo paullatim procedere possunt, ut copia,

qua opus est, usurpetur absque ulla molestia, et cum maxima aegrotantis utilitate. Ita illi, quorum stomachus lactis usum detrectant, huic usui assuescunt, copiam gradatim augendo. Eandem ipsam insistimus viam in usu aliorum auxiliorum, et praesertim illorum, quae ex venenorum classe peti solent.

Ex iis quae adhuc exposita sunt quatuor sequuntur propositiones:

THESES

I.

Ex aliqua actione saepius repetita proclivitas sequitur ad illius actionis faciliorem recursum.

II.

Ex repetita actione stimuli in aliquam corporis partem illius partis potestas sensifera minuitur.

III.

Aliquando duae praedictae leges una conjunctae effectuum explicationem obscuram reddunt.

IV.

Maximi interest ad avertendos et sanandos morbos consuetudinum doctrina.

290

Dalla Nuova Società Tipografica in Ditta
N. Zanon Bettoni e Compagni.